



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Vita Gasparis Barzaei Belgae E Societate Iesv: B. Xaverii
In India Socij**

Trigault, Nicolas

Coloniae, 1611

IX. Altera quoq[ue] nauis Goa[m] appellit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45183

CAPVT IX.

*Altera quoque nauis Goams
appellit.*

QVAE simul soluerant naues, non simul nauigarunt, sed dissentientibus ventis altera alteram citò dereliquit. E regione Canariarum Insularum discessio facta est, & excitato in nauis igne, periculi causa, an indicij, vt se rursus coniungerent, incertum, magno moerore ij, qui alia nauis vehebantur, potissimum Patres, affecti fuerunt. Sed felici cursu & secundo vēto (vt Paulus del Valle in narratione itineris sui ad P. Ludouicū Grā, Rectorem Conimbricensem) perpetuò vsque ad Promontorium Bonæ spei vsi, venerunt, & quidem, quod rarò contigit, excunte Maio, citatissimo planè cursu. Sed in errore naucleri fuit infortunium. è tribus enim supremis nauis moderatibus nemo hactenus in Indiam cū ea venerat potestate; atque ita in eleuatione poli capienda titubauerunt,

runt, & cum ducentis à terra leucis abesse dumtaxat se crederent, mille & eo amplius aberant. Itaque ad iter vnde aberrauerant redituri, ventum quoque velut errori fauentem habuerunt, ita vt triginta dierum spatio mille & amplius leucas confecerint: inde superato promontorio, cum iterum non nihil aberrassent, mox in viam redierunt, malacia quatrimum solum eos detinente. Atque hæcenus non infeliciter; sed pridie quam tenerent Mozambicum, propè in portu passi naufragium, cum ab eo septem non amplius leucis abessent, & in anchoris starent; quod iam sibi nauarchus malè metueret, ne ab aqua destitueretur. Neque frustra. iam enim in scopulo stabat nauis; quod bolidè demissa, quia plenus erat æstus, nauarchus non aduerterat: verùm eo paulatim recedente, sub quartam noctis horam nauis subitò ad scopulum alliditur. Et primus quidem ille impetus parum terruit causæ ignaros.

cum enim ex eo è tormentis vnum excidisset, in illum casum concussionem naus deiecerunt. at cum iã secundò naus impingeret, territi iam permulti cœperunt id quod erat suspicari. Interim qui nauis præerant, studiosè quã profundius esset æquor explorabant, vt ea parte die insequenti discederent: quod cum facerent, non procul à Patrum tuguriolo asseruit è nauis vnus, stare in sicco nauem, quem cum nauarchus mendacij impotenter arguisset, permisit Deus litis sedandæ causa, vt iam tertio sic nauis impingeret, vt è suis vncis ac retinaculis omnibus clauus integer exilierit. Inde à lite ad salutis curam versi ad clauum accurrunt: sed altero etiam impetu plane etiam è loco suo excussus est; oneraria contremuit, omnes præsentis mortis imagine propè obstupuerunt: tanto enim impetu allisa fuerat ac tanto fragore, quanto turris aliqua corruisset. Hic P. Antonius Gomez cum insigni religione protulit vnum

num è D. Vrsulæ sodalibus sacro-
 sanctum cranium, quod ex Euro-
 pa Goam deferebat, atque vniuer-
 sos ad implorandam hac patrona
 diuinam opem hortatur; altera ma-
 nu sacrum pignus gestans, altera o-
 mnes ad spem salutis inuitans: tum
 permulti cereis incensis Patrem
 cingentes, eas quisque preces fun-
 debat, vota que faciebat, quæ cui-
 que necessitas, grande pietatis ad-
 iumentum, suggerebat. Tandem v-
 bi quintò imegisset nauis, mirā-
 biliter è vadis emerfit: mirabili-
 ter, inquam, nam inter duos vtrim-
 que scopulos iter diuino planè
 ductu cepit, ita angustum, vt ne qui-
 dem nauis latera caperet. Itaque na-
 uis nullo adiuuante mortaliū, in
 alteram partem ita sese depreffit, vt
 tantum non aquam hauriret, quò
 aduersa parte sublata in arctum
 quodimmodo se contraheret; at-
 que ita euasit, vt ipsa nauis verè,
 quod de argo finxerunt, videretur
 animata. Sed nondum prodigiorum
 finis. supererat clauis cura: quem

*Sodalium
 D. Vrsu-
 la vnus
 caput o-
 mnes ve-
 nerati o-
 pem cali-
 t^o impe-
 trarunt.*

cum suo loco nulla arte restituere potuissent, ac iam de tenendo portu desperarent: Agite, inquit P. Gomez, ac etiamnum postremo in huius virginis nomine tentate; si neque sic fieri potuerit, illius erit nos etiam sine clauo in portu securo collocare. Dixerat. atq; illi parendi magis studio quam spe rei perficiendæ iterum conituntur, nec magno negotio perficiunt, facile sentientes vim aliquam diuiniorem vnà cum suis conatibus concurrisse. Inde postridiè, sexto videlicet Augusti, Mozambicum lati tenuère, quinto post die quâ socij discessissent, & mox in valetudinarium pari studio ac labore eiusdem disciplinæ socij se contulerunt; solutesque iterum Goam versus Augusti duodecimo, illatis quoque in nauim ægris, & suis, & ijs, qui iã post alterius nauis discessum spẽ tolerandi maris præbebãt. Eo in itinere neque cum scopulis, neque cum mari, sed cum fame ac cibariorum penuria, lento quidem, sed immedicabili malo.

malo est confictatum. Patres certè, ut de reliquis taceam, quorum annonam inopum agrorumque fuerat, eò redacti, ut eam pretio comparare oportuerit, salutem fuit vniuersis portum tempori tenuisse: nam si ad eam moram, quam fecerunt, dies non plures quindecim aut sexdecim accessissent, erat iam de omnium vita conclamatum. Goam ergo ab his malis respiraturi, aduecti sunt octauo vel nono octobris. Franciscum illi quidem non inuenerunt; iam enim in Commorinum concesserat: sic tamen à reliquis sunt excepti, ut facile Xauerij, quem breui expectabant, desiderium tolerarent.

CAPVT X.

Quàm multi è Gasparis nauis Societatem petierint.

GASPAREM in terram egressum cum socijs ad Collegium usque prosequuti sumus: iam in posterum ea dicenda erunt, quæ Goæ, quæ alibi ad Dei gloriam aggress-